



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

Praxis Et Usus Hujus Libelli.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

## PRAXIS ET USUS HUIUS LIBELLI.

I. **P**rimo loco textus Scripturæ sacræ, tanquam basis & fundamentum, cui innitatis, proponitur; in quo, tanquam testimonio, ore Dei aut Spiritûs sancti prolato, non dubiam, de vitio eradicando, aut virtute inferendâ, Dei voluntatem legis.

II. Pro cognitione vitii aut virtutis, ejusdem definitio, aut descriptio subtextitur.

III. Adduntur actus vitiorum, & virtutum, ut ordine ab uno ad alium procedatur; neque enim ordinariè integrum vitium, aut virtus pro materia examinis particularis assumitur; sed unus actus aut gradus post alium, vel etiam, quandoque, in facilioribus, bini aut terni actus simul.

IV. Annectitur consideratio, motiva & incitamenta efficacia complectens; tum vitium detestandi ac mortificandi; tum virtutem æstimandi & acquirendi, quæ sæpius ruminanda, meditanda ac perpendenda sunt, ut vehemens vitii detestatio & virtutis amor in corde nascatur.

V. Sequitur, post prædicta, petitio, seu oratio, indies recitanda, pro obtinendo gratiæ divinæ auxilio; sine quo in vitiis debel-

landis, ac virtutibus comparandis, actum agimus, & frustra laboramus.

VI. Denique adjungitur triplex Aspiratio, ex quibus unam selige; & modò hanc, modò illam, ad horæ sonum, aut saltem sæpiùs per decursum diei, tanquam ignitam amoris sagittam in Deum ejaculare; ut cor ejus emollias, & quod desideras, impetrare valeas; nam ex mente SS. Patrum & Ascetarum, ejusmodi aspirationes, suspiria, ac preces jaculatoriæ, mirâ virtute atque energiâ pollent.

VII. Ad extremum, observes velim, quamvis ternæ perfectionis viæ in hoc libello designentur; seu potiùs una ad perfectionem, ad cælum, atque ad Deum via, in tres partes divisa, idque pro clariore intelligentiâ; practicè tamen vias hæcè permixtas esse: Nemo enim in hac mortalitate adeo Deo unitus est, ut aliquâ purgatione non egeat; nemo vitiorum mortificationi insistit, quin eadem operâ virtutis incrementum faciat; valet enim & hîc dictum Philosophi: *Corruptio unius, est generatio alterius.* Et illud S. Augustini: *Diminutio cupiditatis, est augmentum charitatis.*

Atque hæc de praxi & usu hujus Libelli. Quoniam verò in eo amplissima quoque materia Examini Particularis pro tota vita assignatur, ejusdem praxis breviter exponenda est.

PRA-